

qui populi R. imperium non terrarum regioni- Frgm.
bus, sed caeli partibus terminavit. X

Hoc enim ita . . . superiectum est, ut et Pompeio
blandiretur et Clodium quasi hostem publicum denotaret,
5 qui virum tam necessarium rei p. ipsi eripere conatus sit.

Nec vero tum timendum fuit, cum cessimus. Frgm.
XI

Bene elocutus est de exilio suo, quod maluit dis-
cessionem vocare quam poenam. Et <in> aliis orationibus
similiter coloravit neque metu neque ulla conscientia
10 criminum se maluisse discedere, sed praecavisse potius,
ne ad arma per seditionem veniretur.

Eosdem ad caedem civium de Apennino de- Frgm.
duxisti. XII

Quasi haec omnia in Catilinae socium dicerentur, ita
15 mentionem attulit Apennini, quem nuper ille cum exercitu
obtinuerat.

Lapidibus duo consules ceciderunt. Frgm.
XIII

Cn. Domitium Calvinum et M. Valerium Messallam.
Nec alia fuit causa, cur senatus convocaretur, quam illa
20 praecipua, quod P. Clodius inmissa seditiosorum manu
comitia turbaverat, quae habebantur de consulibus cre-
andis, cum esset etiam Milo candidatus.

Qui multis inspectantibus kaput feriebas, Frgm.
femina plangebas. XIV

25 Gestum furiosi hominis . . .

(Desunt II paginae.)

. . . *lium nomina.

Est enim, quocumque venit, et reorum crimen Frgm.
et iudicium. XV

30 Quod pertinet ad reos, illud est: inutiliter loquens
adfert illis periculum damnationis. Quod autem refertur
ad iudices, hic intellegere debemus magnam illis invidiam